



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Exercitium tutissimum probatissimumq[ue] pertingendi ad fundamentum  
omnium virtutum, scilicet humilitatem. Epist. LVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Exercitium tutissimum probatissimumq; pertingendi ad fundamentum omnium virtutum, scilicet humilitatem.*

*Epistola LVII.*

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIVS, CARTHVS. charissimæ filia, Iesum Christum sponsum, & humilitatis magistrum suavissimum.

Ioan. 4.  
1-Pet. 5.

Via ad veram  
humilitatem  
quæ.

Henricus  
Suso.

Fundamen-  
tum virtutum  
omnium  
qui tacean-  
dum.

Exercitium  
ad humilitatem  
virtutum  
quod.

**F**ilia mea charissima nihil ita necessarium est homini Deo placere volenti, atque profunda humilitas. Hanc quisquis habet, gratus est Deo, & vitam viuit felicem, ac securus moritur. Qui vero humilitatis est expertus, non potest non displicere Deo, quia superbia laborat vitio, cui Deus semper resistit. Atque idem ipse quæritus semper ac morosus est, & nunquam vera cordis pace gaudet, quam experiri non possunt nisi humiles. Inde fit, quod multis vexatur suspicionibus, sæpe etiam valde absurdis ac nimis temerè susceptis, atque ægrè admodum se contemni patitur, quia sibi iniuriam fieri arbitratur. Sed non est iniuriæ loco habendum, si contemptui habeatur homo peccator, utpote cui nihil debetur aliud nisi contemptus & ignominia, propterea quod ipse iniquè agendo, non est veritus contumeliam irrogando summo & adorando creatori.

Et tu igitur filia mea fuge hoc superbia vitium: noli dolere si non honoreris. Refigna te ad omnem tui humiliationem & despectum, vndeunque tibi euenerit. Dic cor tuo, planeq; tibi persuadeas pedum inuolumentum te esse: & sicut eiusmodi inuolucrum non obmurmurat, non conqueritur, non renititur aduersum iniuriam, ita putes à Deo quibuslibet permissum esse, ut in te conuitia, & iniurias congerant, & te pro suo despiciant arbitrato. Si quis labor nimium molestus & grauis tibi iniunctus fuerit, insinuare potes grauamen superiori, magis consilium quærendo, quàm iugum excutere cupiendo. Quod si perseverauerit in sententia superior, dic tibi: Voluntas Domini est, ut hoc facias, cui non oportet te resistere. Et id potes certo confidere filia. Nam si reuera grauamen esset, iam Deus occulta inspiratione & ordinatione superioris mouisset mentem, ut tibi parceret. Quod quia factum non est, cogites non esse grauamen, sed tui immortificationem, quam debes persequi secundum Deum & vincere.

Habet memorabilem sententiam in Epistola quadam dulcissimus & insignis ille æterna Sapientia discipulus D. Henrico Suso in hæc verba. Si in homine defecerit atque extinctus sit omnis amor priuatus, omnis propria quaeritio, proprius respectus & ad sese inclinatio, atque omnis denique proprietatis, & quicquid est hominis erga seipsum, iam fundamentum est collocatum, & virtutum omnium radix germinat. Inde namque oritur vera pax atque tranquillitas cordis, inde mitis atque silentium internum, in vera vigilia maximum. Hæc ille.

Porro, ut aliquid habeas humilitatis obrinendæ exercitium, (Nulla enim virtus sine exercitatione & labore potest obtineri) semper ob oculos verses nihilitatem & vilitatem tuam, peccata & ingratitude tuam. Hæc enim

enim propriè tua sunt, quæ nulli debes accepta referre, nulli imputare, nisi tibi. Nemo te cogere potest ut pecces: sed tuapte sponte laberis in vitium. Sola ergo, ut dixi, peccata tua attendas, nec deflectas oculos ad dona aut charismata Spiritus sancti quæ nimirum tua non sunt, nec ex his tete metiri debes, aut alijs comparare. Separa à te quicquid Dei est, nihil tibi diuinorum vendices charismatum, non tibi iniquè vsurpes quod mera Dei benignitate tibi collatum est, nec ex alieno velis honorem tibi sumere aut gloriam. Cumque nihil horum tibi attribueris, non nisi nihil tibi relictum videbis, quod est peccatum tuum. Id ergo solum pone ante oculos tuos, quia hoc solum à te est, & hoc tu es. Secundum hoc igitur quod tu es, exclusis illis quæ Dei sunt, iudica te, & talis velis etiam ab alijs iudicari.

Atque hic iam perspicias obsecro, num aliquem possis despiciere, aut alicui te præferre. Si enim nihil habes nisi peccatum, non est sanè vnde cuiquam te anteponas, sed potius omnibus te viliozem arbitreris. Simul etiam attende quàm bonus, quàm potens, quàm immensus sit Deus, & quàm tu ipsa vilis & peruersa sis: ac nihilominus quàm erga te fidelem se præbeat Deus, & tu te illi infidelem. Quod est sanctorum patrum testimonio exercitium vtilissimū, ut scilicet in horum assidua consideratione versemur, aspiciamusq; iugiter Dei immensitatem & fidelitatem erga nos, atque nostram paruitatē & infidelitatem erga ipsum. Diligit enim ille nos amore profus gratuito, cum nulla ex parte nostri indigeat, quia sufficit ipse sibi, & in seipso omnimoda fruitur beatitudine & felicitate, nec quicquam in nobis inuenit, vnde digni simus amari. Nos verò cum ab eo toti pendeamus, & sine illo nihil aut simus, aut præualeamus, maximisq; nos affecerit beneficijs, tamen semper illi ingrati & infideles sumus: quod meritò nos & potest & debet summè humiliare, ut contemnamus nos ipsos tam ingratos & miseros. Itaque charissima filia in his meditando sedulo verseris, & vitia cuncta nullo negotio superabis, & ad magis humilitatis gratiam, atque ex consequenti ad virtutum omnium perfectionem Deo fauente breui pertinges. Vale in Christo sponso & Domino tuo.

*Vita spiritualis sit inchoanda: exercitia corporalia pariter ac mentalia quomodo exercitanda: natura item necessaria qua discretionem suscipienda: quiq; ad proximum suum quisquis gerere sese debeat.*

## Epistola LVIII.

IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS, CARTHVS.  
filie suæ charissimæ.

**Q** Vandoquidem filia in Christi charitate & ipsa charissima, frequenter me precibus pulsasti, quatenus tibi modum aliquem præscriberem, iuxta quem vitam tuam in instituto nouo quod Deo vocante assumpsisti ordinare posses. Qua in re tibi acquiescens in primis consulo fideliter, ut vitam tuam spiritalem iuxta  
Ordinis tui censuram debite inchoes: deinde ut dicta, sententiasve aliquas breues, aut exemplaria gesta Sanctorum ante oculos tibi conscribas, crebro inspicias, ad quæ conferas conuersationem tuam, & tanquam ad normam metiaris, propositum imitandi hæc quotidie renoues, in conatu & exercitio

*Vita spiritualis uti sit inchoanda.*

H h tuo